Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2171
Quelle:
Copyright:

Deum Possessor: *Da mihi igitur famulo tuo Carolo sedium tuarum assistricem sapientiam* &c. Ceterum nolim praeterire illustres Personas, quae se eidem propria manu commendavere. Ita *fol.* 21. p. 2. legas: *Jamais je ne seray contente, si ne me tenez pour Votre tresbumble Tante. Marguerite.* Filia videlicet *Maximiliani* I. ex *Maria Burgundica*, tribus, ut notum, Hymenaeis infelix, et demum *Belgii* Gubernatrix usque ad annum mortis 1530. Princeps ingenio celebris, ut inter alia vulgatum testatur Epitaphium, quod sibi in naufragii discrimine composuit, et brachio adligari voluit:

Icy git Margot noble Demoiselle
Deux fois mariee, et morte Pucelle.

Vel, ut alii volunt:

Ci git Margot la gentil Damoiselle,
Qu'a deux maris, et ancore est pucelle.

Varia de Ea inter *Codices Eugenianos* suo tempore referentur. *Fol.* 86. p. 2. *Je me mets en cette place en Vous suppliant tresbumblement Monseigneur, que puisse tousiours estre en Vostre bonne grace. Vostre tresbumble et tresobeissant S. P. Fol.* 131. p. 2. *Je demoray* (sic) *toute ma vie Nostre tresbumble Servante et amie. Marie.* Sororem intelligo *Caroli*, quam post funestam *Ludovici* Reg. *Hung.* mariti caedem itidem *Belgio* praefecit. Demum in theca postica: *Cest mon beur. Brandenburgk.* Fortasse *Joachimus* II. Astrologiae deditus.

DCCCCIV.

R. 2037 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 218. 8. elegantissime perscriptus, et Literis Initiorum omnibus ab egregio Artifice adpictis illustris ad antiqua Pietatis *Austriacae* Monumenta pertinet, datus post *Ferdinandi* Archid. qui *Tyrolim* obtinebat, mortem ad Parthenonem *Oenipontanum* vulgo *Regelhaus* dictum, et inde ad nos delatus. Continet vero pias in ejus Principis exquisiti Artium amatoris usum *Precationes* optimo delectu, ductuque a *Psalmis*, quos *Poenitentiales* vocamus, initio, adjunctis OO. SS. Litaniis, ad quas Oratio pro Imperatore ita concepta est: *Deus Regnorum omnium et christiani maxime protector imperii, da seruis tuis Imperatori nostro F.* (Ferdinando I.) *et Liberis suis* (Maximiliano, Ferdinando, Carolo) *triumphum uirtutis tuae scienter excolere, ut qui tua constitutione sunt principes, tuo munere semper sint potentes. Fol.* 30. ad Meditationes in *Pater Noster* Archi-